



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Conditiones quatuor ex parte vouentis examinandæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

352 Vouentis condit.

promittere Deo indifferentia, (vt sunt ea quæ nec bona nec mala sunt) est stultū. Prouenit enim ex stultitia de Deo imaginatione, quasi Deo placeant humana, hoc est voluntaria opera quæ non sunt moraliter bona: vt nō filare in sabbato, non pectere caput, &c.

Verum hoc intelligendum est de operibus indifferentibus manentibus in sua indifferentia. Nam si opera indifferentia ex aliquo respectu fierent bona vel mala moraliter, tunc cadere possent sub voto. Verbi gratia tam ire quàm non ire ad domum Ioannis, est opus secundum se indifferens: sed si in Ioannis domo fit vere fiat aliquid attractiuum mei ad malum (puta ludus, vel mulier attrahens, &c.) tunc ire ad domum Ioannis non est indifferens, sed declinat ad malum, & non ire declinat ad bonum. Et propterea si in huiusmodi casibus vouerit quis non ire ad Ioannis domum vt caueat sibi votum est validum. Si tamen ex Ioannis domo cessaret ludus aut mulier, & breuiter ratio mali, cessat obligatio voti: quia cessat voti materia. Ex hoc ipso enim quòd non ire ad domū Ioannis non habet amplius rationem cautelæ seu præseruatiui à periculo reddit in naturā indifferentis: & sic non est amplius materia voti. Hæc de materia voti.

Conditiones quatuor ex parte vouentis examinanda.

EX parte autem vouentis quatuor conditiones occurrunt: scilicet fallacia, imperfectio actus, imperfectio ætatis, & subiectio. Inuenitur igitur fallacia quandoque in voto, vel quia non intendit vouere, sed simulat se vouere. Et quoniam hoc est decipere Ecclesiam cui fit votum solenne, aut homines testes, coram quibus aliquis emitteret publicū votum, & dolus ac fraus nulli debet patrocinari, licet votū in veritate nullum sit, compelli tamē debet ad implendum quod

quod ore proprio Deo promittere se dixit: sicut compelli debet quilibet ad seruandum contractum cum homine, licet nō intenderit promittere. Et nihilominus peccauit mortaliter perniciosum incurredo mendacium, qui solenne aut publicum votum cum animo non vouendi fecit & ratione irreuerentiæ diuinæ coram hominibus, & ratione scandali sequentis, cui dat operam efficacem, dum vouere se promulgans intendit monstrare se factio contemptorem voti. Vel est fallax votum: quia licet intendat homo verè vouere, non intendit tamen seruare promissum. Et huiusmodi vota vera quidem sunt (quia ibi interuenit intentio vouendi cum promissione facta Deo de bono illi grato) peccat tamen mortaliter sic vouens. Nec minus tenetur coram Deo adimplere votum quam si vouisset cū intentione seruandi promissum: quia ex suo iniquo proposito nihil reportat exemptionis à vinculo voti, cui se subiecit.

Imperfectio actus in voto dupliciter inuenitur. Vel per modum primi motus, quando scilicet votum (hoc est promissio Deo facta) non est actus deliberatus, sed est promissio imperfecta: sicut in tentationibus fidei vacillatio absque consensu, non est deliberata infidelitas: & affectus ad occidendum inimicum absque consensu rationis non est mentale homicidium completè: & sic de similibus. Et huiusmodi promissiones votiæ non sunt vota verè, sed inchoationes votorum ac per hoc non obligant.

Alio modo inuenitur imperfectio actus votiui ex defectu plenæ ac discussæ deliberationis ut contingit in votis quæ fiunt ex timore repentinorum malorum, aut ex magno dolore, aut ex leuitate animi, aut pronitate ad vouendum, & similibus. Et alia vota sunt quidem vera vota, sed minus plena. Quod ut clarè intelligas, distingue deliberationem dupliciter intelligi,

intelligi,

554 Vouentis condit.

intelligi. Primò, vt sufficit ad constituendum actum deliberatum absolutè: sicut quodlibet peccatum mortale est deliberatum: ita quod nisi esset deliberatè voluntatis, non esset peccatum mortale. Alio modo vt constituit actum deliberatum ex modo deliberandi: sicut actus cum meditatione & discursu discussi concluduntur, acceptantur & eliguntur. Et sic non omne mortale peccatum fit ex deliberatione: sed multa homicidia, sacrilegia, luxuriæ, &c. committuntur ex passione absq; huiusmodi deliberandi modo. Vota ergo quæ ex deliberatione primo modo (hoc est absolute) fiunt, vera sunt: quia deliberatio quæ sufficit ad constituendum seipsum seruum diaboli, multo magis sufficere debet ad seipsum debitorem Deo constituendum. Sed quia quantum ad modum vouendi non interuenit deliberationis modus, dicuntur quod sunt vota hæc minus plena: vt pote quibus plenitudo modi viuendi, scilicet per exactam deliberationem defuit: & propterea absque difficultate huiusmodi vota commutantur vel dispensantur.

Imperfectio autem ætatis (hoc est ætas ante pubertatem) tollit voto religionis solenni suam vim: ita quod professus ante completum annum quartum decimum, potest liberè recire ad seculum: vt habetur extrà de reg. cap. is qui. in sexto. Et ratio huius est auctoritas Ecclesiæ irritantis votum religionis solenne intra talem ætatem. Et hoc siue persona sit doli capax, siue non: quia sic statuit Ecclesia. De aliis autem votis secus est, quia non tam ad ætatem, quam ad rationis plenum usum spectatur. Nam in quacunque ætate habeatur rationis usus liber ita quod persona est doli capax (hoc est ad propositum vt discernat quid importat facere Deo votum) potest homo voto alio quocunque se obligare, ita quod votum est validum quantum est ex parte sui: quoniam tunc ætas

non

non tollit aliquid eorum quæ necessaria sunt ad votum, vt patet. Subiectio demum vouentis reddit vota conditionalia: hoc est, si pater, maritus, dominus, Prælarus, &c. permiserit: ita quòd subditorum vota non sunt ipso facto inualida, nec sunt absolutè obligatoria sed medio modo se habent: quoniam obligant stante conditione subintellecta, scilicet si superiori placet, aut non displicet. Dico autem placet aut non displicet, propter diuersam materiam voti quoniam si votum sit de prohibitis subdito, subintelligitur, si superiori placet. Et tunc tenetur requirere bona fide superioris beneplacitum, explicando ei suum votum, ad hoc, vt integra fide agat cum Deo cui promisit, fortè enim concedet superior intellecto voto, quod negat nesciens subditi votum. Et si illi placet, tenetur exequi suum votum: si non placet, irritum est votum, vt patet si Episcopus vouerit ingredi religionem, subintelligitur enim si Papæ placet. Vnde tenetur requirere si Papæ placet, vt impleat votum: an non, si placet, implere: si non, irritum est votum, quia Episcopo prohibitum est ingredi religionem. Et sic de similibus. Si quis tamen subditus in communibus votis petat licentiam in opere quod promisit, vt liceat sibi illud facere pro Deo, & non indicet quòd hoc vouerit, putans sibi hoc sufficere: excusatur pro tunc ab executione voti superiore negante licentiam. Non tamen propterea votum est irritum: quoniam ad irrationem voti requiritur voluntas superioris ad irritandum: quæ in proposito non interuenit. Vnde remanet obligatus ad petendum iterum quando prudentia sua debet petere licentiam operis promissi, donec irritetur votum. Si verò votum sit de non prohibitis subdito, subintelligitur eodè modo, si superiori non displicet: ita quòd tenetur exequi votum, quousque superiori notificatum sibi votum displiceat.

356 Votorum imped.

ut si patet si religiosus voueat dicere quotidie psalmos poenitentiales. Tenetur enim illos dicere quousque superior sciat & reprobet obligationem votiuam, quam debet reprobare, utpote Prælaso præiudicialem.

Et scito quòd hæc quæ de votis subditorum dicuntur, intelligenda sunt quantum ad illa in quibus sunt subditi: ita quòd si aliqua sunt in quibus non sunt subditi de illis possunt vota facere absolutè valida: ut si Episcopus voueat dicere septem psalmos, aut dare eleemosynam: quoniam in his non habet manus ligatas. Et similiter si vxor voueat non petere debitum coniugale: quoniam in hoc non est subdita, sed par marito. Et sic de aliis similibus. Habes igitur hinc unde discernas peccata transgressionis votorum in illis qui sub alterius sunt potestate constituti: ut sunt pueri, puellæ, vxores, serui, ac religiosi: & vniuersaliter illi qui vouent de alieno, hoc est de eo quod sine alterius licentiâ licitè dari aut fieri nequit: ut si filius familiam voueat dare eleemosynam, quum nihil habeat nisi patris. Et sic de similibus. De religiosorum votis speculatiuè vide commentaria in secunda Secundæ.

Votorum omisio quandoque vitiosa est, quandoque non.

EX parte deinde impedimentorum occurrentium, discernere oportet quandoque votorum omisio- nem quando est peccatum, & quando non. Sunt autem occurrentia impedimenta votorum duplicia. Nam quædam se tenent ex parte materiæ votiue, quædam ex parte intentionis personæ vouentis. Et ex materiæ quidem parte, impedimentum executioni voti præstat quicquid impediret votum quando fit: scilicet si materia voti facta est impossibilis, aut illicita, aut